



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

Sect. I. Quot & quos actus eliciat virtus Pœnitentiæ circa suum obiectum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

lo, & quod quando volo bonum mihi, non apparet bonitas motiva in me ipso. Vtraque enim pars potest esse falsa; quia aliquando non me movet bonitas Petri ad volendum illi bonum: & contra aliquando movet me bonitas mea ad volendum etiam bonum mihi. Prima pars probatur, quia ille, qui ex affectu erga bonum castitatis secundum se desiderat, quod Petrus resistat tentati contritioni contra castitatem, non semper movetur ex affectu amicitiae erga Petrum, quem diligit propter eius merita, aut bonitatem, sed potest mere moveri ex affectu erga bonum castitatis, quod amat propter ipsius castitatis bonitatem, & ideo desiderat poni illud à parte rei, & coniungit se per affectum cum illo bono ali-que alio medio; & tunc Petrus non est motuum principale, imò nec obiectum propriè amatum per illum actum, sed sola bonitas castitatis est, quæ movet, & quæ propriè amatur. Tunc ergo solum requiritur bonitas in Petro, cui volumus bonum, quando, id volumus ex affectu erga ipsum Petrum secundum se, quod in prædicto casu non procedit.

43. Secunda verò pars, quod possumus è cõtra moveri ex bonitate, quæ in nobis apparet, ad volenda nobis bona; constat ex supra adducto exẽplo Dei amantis se ex motivo suæ infinitæ bonitatis, & ideo volentis sibi alia bona extrinseca. Similiter ergo potest homo moveri à bonitate, quam in se videt, ad amandum se: & tunc non solum vult sibi bonum, (ad hoc enim non esset necesse agnoscere in se aliquam bonitatem) sed etiam coniungit se affectivè cum se ipso propter bonitatem, quam habet, sicut coniungere se solet cù aliis bonis à se distinctis, & quasi separando se à se ipso, ut se cum sua bonitate, & cum se ipso per affectum coniungat: qui modus amandi diversus est ab eo, quem habet, quando solum vult sibi honorem, v. g. quia bonum suum est: quia licet tunc etiam amet se; non tamen movetur à sua bonitate, nec coniungitur secum affectivè, tanquam cum bono, sed solum cum honore, à cuius sola bonitate movetur.

44. Quarta arguit ille Auctor n. 22. quia ex illa doctrina inferunt aliquid absurdum eius Auctores; quod scilicet, amare mihi Deum sit actus virtutis Theologicæ, quia principale motuum tunc est bonitas Dei voliti, non bonitas mei cui Deum volo, amare verò Deum B. Virgini, vel alteri, non sit actus virtutis Theologicæ, quia principale motuum tunc non est bonitas Dei voliti, sed bonitas illius, cui Deum volumus: quod tamen consequens videtur ex se satis absurdum. Responsio ad hoc pertinet ad materiã de virtutibus Theologicis. Pro nunc dico, illationem non esse necessariò concedendam in illa doctrina: quare ego in tractatu de spe dixi, neutrum actum esse propriè virtutis Theologicæ: ad hanc enim requiritur, non solum quod motuum, sed etiam quod obiectum principaliter amatum sit Deus. Quando autem amo mihi Deum, quia bonus est mihi, licet ego, aut bonitas, quæ in me appareat, non sumus motuum: ego tamen sum obiectum principaliter amatum, ut supra dixi; Deus autem licet ametur, non tamen principaliter, sed quasi secundariò, cum referatur ad alterum, cui amatur; quod sufficit ut ille actus degeneret à perfectione virtutis Theologicæ, licet minùs propriè possit appellari Theologicus, & reduci ad virtutem charitatis. De hoc tamen latius n. 161.

45. Manet ergo doctrina illa satis probabilis, & apta ad explicandum, quomodo non sit idem habitus, quo mihi volo bonum castitatis, temperantiæ, prudentiæ, &c. sed multiplex pro diversitate bonorum, quæ mihi volo: quod licet consequenter neget P. Ariaga n. 23. negari non potest, hoc esse contra communem Philosophorum, & Theologorum sensum. Alioquin omnes ferè virtutes pertinerent ad eundem habitum; cum earum omnium honestates mihi ve-

lim, & unitas habitus desumi debeat per te ab unitate subiecti, cui amantur ea bona, etiam quando aliquis vult sibi metipsi illam honestatem.

De reatu pœne.

Restat dicere de reatu pœnæ: an sit etiam obiectum pœnitentiæ. Possumus autem dupliciter pœnam considerare. Primò quatenus pœnitentiæ virtus amplectitur eam ut medium ad placandum Deum iratum ratione culpæ: & hoc modo pœna est obiectum materiale pœnitentiæ; non quidem obiectum fugæ, sed prosecutionis. Alio verò modo possumus eam considerare in ordine ad fugam, quatenus reatus ille inducit aliquam maculã, vel quasi maculam in anima, & est affectus peccati præteriti, & hoc modo inquirimus, in pœnitentia habeat odio eum reatum, sicut habet odio peccata? Affirmant aliqui, quia pœnitens intendendo destructionem peccati, intendit etiam satisfacere pro pœna debita peccato. Sed proculdubio verius loquitur P. Suar. ubi supra n. 14. dum dicit, pœnitentiam non fugere, imò amplecti malum pœnæ. Quia pœnitentia solum fugit illud malum, quod opponitur cum Dei placatione, & pace, quam intendit: cum hac autem solum opponitur malum culpæ, quæ est offensã Dei; non reatus pœnæ: nam loblatã culpã Deus nullo modo manet offensus, nec aversus; & tamen restat reatus pœnæ: potest ergo homo illud reatum fugere ex alio motivo, quatenus opponitur, v. g. cum visione Dei, quam retardat, vel quatenus affert malum aliquod ipsi homini: non tamen quatenus opponitur paci cum Deo, quam pœnitentia intendit; cum ille reatus nullo modo sit offensã Dei. Et hæc sufficiant de obiecto materiali.

DISPUTATIO IV.

De Actibus virtutis Pœnitentiæ.

SECTIO I. Quot, & quos actus eliciat virtus Pœnitentiæ circa suum obiectum?

SECTIO II. Virum deservat peccati præteriti sit actus absolutus, & efficax?



ACTVS pœnitentiæ duplices sunt. Alij imperati, alij elicit. Imperati sũt, quos pœnitentia vult fieri, ut media ad tollendũ peccatũ, vel conservandam amicitiam cum Deo. Eliciti sũt, quos elicit ipse habitus pœnitentiæ; & hi quidem omnes tendunt intrinsece sub notino formali pœnitentiæ: Imperati verò solum necesse est, quod participant extrinsece & denominatiũ illud motuum, quatenus imperantur ab actibus elicitis pœnitentiæ, qui tendunt sub illud motuum. Qui autem sint ij actus imperati: regula vniuersalis est, eos omnes posse à pœnitentia imperari, qui viles apprehenduntur ad finem pœnitentiæ allequendum. Qui autem sint viles, vel necessarij ad obtinendam veniam peccati: dicemus ex professo disp. seq. postquam in hac dicemus aliquid de actibus elicitis pœnitentiæ.

SECTIO I.

Quot, & quos actus eliciat virtus Pœnitentiæ circa suum obiectum?

SYPOPOSIS quæ de obiecto formali pœnitentiæ diximus disp. 1. facile erit definire, quos actus possit elicere. Vno verbo dici potest, eos omnes actus elicere hunc habitum, quos alij habitus eliciunt circa sua obiecta. Ij autem sunt in duplici differentia: alij enim sunt circa bonum, alij circa malum oppositum. Circa bonum sunt amor simplex, seu complacentia

placencia inefficax; item amor efficax: desiderium, intentio, electio mediorum gaudium. Circa malū verō sunt e contra displicentia simplex, odium efficax, detestatio, dolor, propositum vitandi illud, &c. Cū autem bonum, quod formaliter intendit pœnitentia, si pax cum Deo, ut diximus; consequens est, ut in eo pacis bono possit complacere, illud possit efficaciter amare, desiderare, intendere, media ad illud eligere, & de eius possessione gaudere. Item de peccatis, quæ illam pacem turbant, potest illa efficaciter odio habere, detestari, dolere de illis, & proponere efficaciter circa ea de cætero fugienda. Hi omnes sunt actus eliciti huius virtutis, quod exemplo aliarum virtutum constat, & admittit doctrinā suprà tradita, nullam habet difficultatem.

Pro maiori tamen declaratione supponendum breviter est, quid nomine horum actuum intelligatur. Amor inefficax, seu simplex complacencia est affectus erga bonum: non tamen, quo illud efficaciter volumus, sed quo explicamus propensionem nostrā in illud, si nullum esset inconueniens. Amor efficax est, quo obiectum omnino volumus, quantum ex nobis est. Quod si obiectum apprehendatur absens, oritur desiderium. Si requiratur media, oritur intentio finis, ex qua postea nascitur electio mediorum. Si denique sit præsens, oritur gaudium, seu delectatio, quæ in hoc differt à gaudio, quod delectatio datur etiam in brutis, & in appetitu sensitiuo: gaudium verō est delectatio, quæ consequitur cognitionem intellectualem & rationalem. Eodem modo se habent affectus erga malū odium inefficax, & odiū efficax quod si malum apprehendatur ut præsens, vel præteritū, nascitur detestatio, & ex detestatione tristitia, seu dolor: differunt enim tristitia, & dolor sicut gaudium, & delectatio, quod dolor reperitur etiam in brutis, & in appetitu sensitiuo; tristitia verō solum in rationali.

De gaudio videtur esse aliqua difficultas, quomodo possit elici à pœnitentia: gaudium enim repugnat cum dolore, eū ergo pœnitentia doleat, non potest gaudere, ergo gaudium non est actus elicitus pœnitentia. Respondetur: Hoc argumentum non solum probat, quod gaudium non sit actus elicitus à pœnitentia, sed etiam, quod non possit elici ab illo alio habitu, quando pœnitentia dolet de peccatis: non enim minus repugnat gaudium & dolor simul, licet à diuersis habitibus eliceretur. Probat ergo ad summum illud argumentum, non posse simul elici ab habitu pœnitentia illos duos actus doloris, & gaudii, non tamē probat, quod non possint elici lucet: sicut alij etiam habitus: nam charitas v. g. potest dolere de offensis contra Deum, potest etiā gaudere de bonis intrinsecis, & extrinsecis Dei, saltem pro diuersis temporibus, & idem est de omni alio habitu. Denique nec pro eodem tempore repugnat omnino: nā licet gaudium, & dolor efficax de eodem obiecto non possint esse simul, possunt tamē esse de diuersis obiectis, præsertim contrariis: potest enim quis simul dolere de peccatis, & gaudere de remissione peccatorum: & licet fortasse quodlibet gaudium etiam de obiecto contrario, vel disparato, habeat vim minuendi dolorem (quod credibile est) non tamen illum omnino impedit, nisi sit summum gaudium, quale est in patria, ubi ideo Beati non possunt habere dolorem, vel tristitiam de peccatis, quæ alioquin summo odio prosequuntur.

Potest etiam secundo dubitari, quomodo differat inter se detestatio efficax peccati, & dolor: Vterque enim actus respicit peccatum, non solum ut possibile sed ut commissum. Sed tamen P. Suarez disputat, & bene docet, distingui hos duos actus: & constat ex separabilitate, nā in Beatis (ut dixi) datur

P. Lopez de Lugo de Pœnitentia.

perfecta detestatio peccati præteriti; & non datur tristitia; hæc enim impeditur à summo gaudio ne insurgat: imò in nobis etiā contingit, difficile excitari tristitiam magnam de peccatis, quando repentinus aliquo nuncio iucundo preoccupamur: non quod desit nobis detestatio peccati, sed quod gaudium præsens impedit insurgere vehementem dolorem. Differunt ergo detestatio, & dolor, sicut causa, & effectus: ideo enim dixit Augustinus, dolorem esse de iis, quæ nobis nolentibus accidunt: supponit ergo notationem, seu detestationem illius obiecti, de quo dolemus. Et quamuis dolor sit etiam fuga obiecti, sed: o eo modo quo detestatio: sed cum inquietudine, & pœnæ: unde nomen *doloris* translaturum etiā est ad significandum ipsum obiectum doloris, quod possumus appellare dolorem obiecti. Hæc tamen non habent peculiarem difficultatem in habitu pœnitentia: quod enim dixeris de aliis habitibus quibus detestamur, & dolemus de aliis obiectis, dicere etiam debes de habitu pœnitentia.

Tertio ergo dubitatur, uter illorum actuum sit propriè pœnitentia, detestatio, an dolor de peccatis? P. Suarez dicta s. 4. dicit, detestationem esse propriè actum pœnitentia: quod probari videtur ex eo quod dolor oritur necessariorum ex detestatione, ergo honestas, & libertas principaliter reperitur in detestatione, quàm in dolore consequuntur. Alij contra volunt, rationem pœnitentia principalis consistere in dolore; hoc enim modo videtur separari magis modus loquendi sanctorum Patrum, qui pœnitentia dicunt planctum, dolorem, tridum, &c. & contritio quidem magis videtur explicare dolorem, & dicitur enim contritio à cōterendo, quia contrit, & qui diuidit cor in partes minutissimas, quo propriè est doloris. Alij volunt, cōtritionem, & pœnitentia; utrumque actum in recto includere, scilicet, detestationem, & dolorem ex ipsa ortum propter rationes utriusque sententia. Hæc differentia tota est de modo loquendi, & qui quid dixeris, facile defendes. Sanè detestatio, ut præcendit omnino à dolore, pœnitentia non dicitur: datur enim ea detestatio in beatis, non verò pœnitentia, quia non datur dolor. Itē e contra dolor, ut præcendit à detestatione pœnitentia non est, quia totam suam honestatem, & libertatem habet à detestatione, ex qua necessariorum oritur: sicut assensus fidei ex pia affectione voluntatis. Ideo fortasse Tridentinum sess. 4. c. 4. de cōtritione dixit esse detestationem, & dolorem animi, quia neuter actus sine alio sufficit ad veram, & perfectam rationem pœnitentia: uterque tamen sufficit.

Quarto dubitari solet, an actus ipse detestationis sit actus elicitus ab habitu pœnitentia, an solum imperatus illi, qui dicunt, habitum pœnitentia solum intendere formaliter bonum compensationis, ut compensationis, consequenter dicunt detestationem vniuersalem omnium peccatorum non esse actum elicitem huius habitus, sed imperatum, ut diximus disp. præc. & quidem supposita illa sententia, ita debet consequenter asseri, quia licet possit ex proprio motu detestari peccatum speciale impœnitentia, quod opponitur compensationi: non tamen omnia peccata; hæc enim non opponuntur, imò requiruntur ad hoc ut detur compensatio. Cæterum in nostra sententia aliter cum communi dicendum est actum detestationis esse elicitem ab habitu pœnitentia, quia ex proprio motu, scilicet ex amore pacis cū Deo, potest detestari peccata omnia, quæ hanc pacem perturbant, vel minuant. Quod si aliquando S. Tho. videtur supponere, actum detestationis pertinere elicitim ad charitatem, ideo fortasse est quia agit de detestatione perfecta, quæ disponit ad iustificationem; quæ in sententia communi debet procedere

8.
Actus pœni-
tentia an
sine solum
ad malum.

ex motiuo charitatis; de quo *disput. sequent.*

Eodem modo respondendum est ad illud, quod in præfati etiam controuertitur; an habitus pœnitentiæ habeat actum tendentem ad bonum; an omnes eius actus tendant in peccatū, & in malum? de quo P. Suarez, *sect. 2.* cuius sententiā impugnant multi ex recētoribus. Sed suppositis nostris principiis, res est facilis. Si enim solum velim, habitum pœnitentiæ non posset elicere actū sine ordine ad peccatū; facile potest concedi, quia etiam ante commissum peccatum, omnes eius actus videntur ordinari ad hoc quod vitetur peccatum: nam velle conseruare pacē cum Deo, velle fugere occasiones, & alia huiusmodi, idem est ac velle fugere peccatum, & offensam Dei. Si verò velint, omnes pœnitentiæ actus versari circa peccatum vt iam commissum; hoc licet possit de pœnitentia concedi sub denominatione pœnitentiæ; non tamen de ipso habitu in tota sua latitudine; vt vidimus *disput. præcedenti*: habet enim multos actus etiam ante commissum peccatum. An verò propter hos actus dandus sit ille habitus in Christo, & in Beatis, videbimus suo loco *disput. 9.*

9. Denique ex dictis inferitur responsio ad illud dubium, an voluntas delendi peccatum, & voluntas satisfaciendi Deo; & propositum non peccandi de cætero, sint actus elicti ab habitu pœnitentiæ: Respondeo enim affirmatiuē, quia hæc omnia continentur sub obiecto proprio pœnitentiæ: nam ad reparandam, & conseruandā pacem cum Deo, necesse est delere peccatum, satisfacere Deo, & non peccare de cætero: imò addo etiam in opposita sententia limitante obiectum pœnitentiæ ad bonum compensationis, posse hos actus elici ab habitu pœnitentiæ, & quidem de duobus primis non est dubium; quia velle compensare pro offensa est velle delere offensam, est velle satisfacere, &c. De proposito verò non peccandi posset esse difficultas. Sed adhuc de ipso videtur affirmandum, qui cum ipsum abstinere à peccatis sit materia apta ad cōpensandas priores offensas; non est dubium, quin pœnitentia possit ex amore compensationis eligere illam abstinētiā à peccatis futuris vt medium vile ad suum finem consequendum. Quamuis ergo detestatio vniuersalis de offensis præteritis non sit actus elictus pœnitentiæ in ea sententia; de actu verò proposito etiam vniuersalis circa offensas futuras, aliter dicendum est propter rationem adductam, ex qua potest desumi discrimen inter vtrumque actum: quia scilicet obiectum vnius potest eligi, vt medium aptum ad compensationem, non verò obiectum alterius.

10. Disputant hinc, an actus pœnitentiæ sint naturales, vel supernaturales; de hoc tamen commodius dicemus infra *disputat. 6.* vbi de habitu ipso indicabimus an sit infusus, vel acquisitus? Nunc restat solum dubium de actu detestationis, an sit actus absolutus, & efficax, conditionatus, & inefficax, de quo *sect. sequenti.*

SECTIO II.

Vtrum detestatio peccati præteriti sit actus absolutus, & efficax?

PRima sententia docet, 10. esse actum absolutū, & efficacem; ita videtur sentire Ioan. Medina: *Code de Pœnitentia tract. 1. quest. 1.* qui pro se affert Albertum, Alensem, & alios: quia obiectum illius actus, scilicet, non fuisse peccatum; non est impossibile simpliciter, & absolute, sed solum ex suppositione; cum quo stat, quod sit simpliciter & absolute possibile, ergo potest actus detestationis absolutus ad illud terminari. Quare hanc sen-

tentiam amplectuntur aliqui recentiores.

P. Vasquez 1. 2. *disput. 42. c. 4. & disput. 43. c. 3. & 1. tom. in 3. par. disput. 73. num. 9.* docet, nullum actum voluntatis esse conditionatum, sed omnes esse absolutos; quando autem dicuntur conditionati, & explicantur per verbum, *vellem*, non esse actum voluntatis, sed intellectus iudicantis, quem actum absolutum haberet voluntas nostra, posita illa conditione; quam sententiam retuli latius *disput. 25. de Incarnatione, 14. & sequentibus*: vbi dixi, negari non posse aliquos actus in voluntate, qui sint conditionati, non quidem in suo esse (hoc enim repugnat) sed qui tendant ad obiectum, amando, vel nolendo illud in statu conditionato, sicut intellectus habet actus absolute existentes, quibus affirmat obiectum nō absolute, sed sub conditione; hoc est, obiectum in statu conditionato. Potest ergo similiter voluntas affectū habere ad obiectum, quod apprehenditur bonum in statu conditionato, licet non apprehendatur æquē bonum absolute: & quidem eiusmodi actus voluntatis videmur explicare regulariter per verbum, *vellem*, sicut per aduerbium, *vrinam*; per quod non explicamus solum actum iudicij, sed affectum præsentem voluntatis: solum autem idem omnino explicare per *vrinam* & per *vellem*, vt ex vsu hominum constat.

Nec obstat argumentum Patris Vasquez, quod omnis actus voluntatis præsens debet dicere, *volo*, sicut actus visus, vel auditus, non dicit, *videm*, vel *audirem*: sed, *video*, vel *audio*. Ad hoc enim respondit loco citato *num. 11.* vbi attuli discrimen intellectus, & voluntatis à sensibus externis. Addere autem possumus, quod sicut intellectus affirmans aliquid sub cōditione, verē affirmat, sed affirmat obiectum in statu conditionato: ita voluntas nunc dicit *volo*: sed non vult obiectum, nisi in statu conditionato; & hunc modum volendi explicare solemus per verbum, *vellem*.

Tertia ergo, & communis sententia docet, actū detestationis peccati præteriti esse quidem actum conditionatum, qui explicatur per illas voces, *vellem non peccasse si id fieri posset*, vt docent Suarez in præfati *disput. 3. sect. 3.* Coninck *disput. 1. dub. 2.* & alij communiter: & videtur expresse sancti Thomæ 1. 1. *quest. 13. art. 1. ad primum* & aliis in locis, quæ affert Suarez *vbi supra*. Ratio autem est, quia ad præteritum non datur potentia. Voluntas autem non potest absolute velle id, quod possibile non est; ergo non potest velle absolute, quod peccatum non fuit, sed solum sub aliqua conditione. Hanc ergo communem sententiam retinendam, & amplectendam existimo, quæ ex solutione argumentorum magis explicabitur.

Obiiciunt primò, quia stultum est velle, & conari ad hoc, quod non fuerit peccatum ex suppositione, quod commissum fuit, vt docet S. Thomas in præfati *quest. 75. art. 1. ad 1.* quia impossibile hoc est: sed non minus impossibile est, quod peccatum præteritum ex suppositione, quod est præteritum, non sit præteritum etiam quacumque conditione posita, quia si ponatur non præteritū, eo ipso destruitur præteritio: ergo non minus stultus erit affectus, quo etiam ex suppositione illius possibilitatis, vellem coniungere negationem præteritionis cum præteritione. Hinc inferunt debere esse actum absolutum, quod nunc absolute volo negationem præteritionis peccati: hæc enim secundum se possibile est, & nullam dicit intrinsecam implicantiā contradictionis; licet ex suppositione, quod peccatum fuit non possit non fuisse.

Ad hoc argumentum facile respondetur. Primò etiam si sensus illius voluntatis esset ille, qui in ob-